

reflexionem illa notabili circumstantia: quod in Fundi studiorum subsidium, Religionis, insuper fundus per Ordinum Religiosorum penes Institutionem Juventutis in Gymnasiis plerisque jam altissime dispositam applicationem accesserit, onerosa vero illa nonnullorum sublatis Societatis Jesu Ordinis Individuorum prioribus temporibus ex Fundo Studiorum penes cunctorum Professorialium Salariorum integram solutionem procurata intertentio cessaverit, — taliterque superfluitas in emolumentum rei Litterariae convertenda necessario enasci debuerit, — plenariam et nulla in parte truncatam Systhematice emensorum Salariorum Professoribus Scholarum Gymnasialium in Districtu Directionis Zagrabienensis exolutionem benignissime disponere dignaretur; — caeterum, quoniam propositus scopus non secus quam adhibitis cunctis in rem facientibus mediis sequi posset, hac vero Consiliorum oportunitate complures insuper permagni momenti considerationes sese evolvissent, quas inter primum occupat locum quod Cathedrae Studiorum Juridicorum plurium quoque annorum spacio in Regia Scientiarum Accademia Zagrabienensi vaccantes relinquuntur, imo concursus domesticorum Filiorum pro iis saepe ac iterum praeclare licet suscepti incassum interim tentati esse cernantur, hocque pacto Juventus Scholastica Docentibus necessariis destituta gravem perfectae institutionis subire cogatur jacturam; — dein

Quod Religiosi Ordines Sancti Francisci, Eszekini, Posegae, Carolostadii imo jam et Varasini ad munera Professorum vocati exclusivum in Gymnasiis docendi Jus acquisiverint, taliterque cuncti reliqui Patriae filii quamcunque eximiis qualitatibus instructi, privative Professoratus beneficio Ordini Franciscanorum altissime attributo, cum praejudicio et detrimento Rei Litterariae ab institutione Juventutis arceantur — quum nulli virorum muneris praeceptoralis capacium praemisso fine concursui locus amplius concedi videretur; — deinceps

Quod administratio Bonorum fundationalium minus recta esse vel ideo appareat, cum Systhemate arendali hac in parte adoptato, exarendatio non in facie idmodi bonorum, verum quemadmodum recentissima Excelsi Consilii Locumtenentialis omnibus Regni Jurisdictionibus intimata Insinuatio intuitu Domini Kutjevo in Slavonia situati docuit, Budae penes Commissionem Ecclesiasticam fieri soleat, unde necessario minor Census arendalis, ac dein proventuum defectus, hincque Salariorum solvendorum falcidia subsequatur oportet.

His proinde omnibus mature et pro gravitate meriti debite expensis, SS. et OO. Regnicolariter congregati, relate ad singula quoque praemissorum Gravaminum punctorum altiorum et malis subversantibus accomodam medelam mediante eadem procitata humillima Repraesentatione a Sua Majestate Sacratissima, cui Suprema in objecto Litterario Inspectionis competit auctoritas, implorandum esse censuerunt.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.